

II. HERMANNI BOERHAAVE, A.L.M.
*Philosop. & Med. Dæc. Medicinæ in
 Universitate Leidenſi Profess Colleg. Chi-
 rurgic. Præf. Reg. Soc. Lond. necnon Reg.
 Scient. Acad. Parisiensi. Soc. de MERCU-
 RIO Experimenta.*

Pars III.*

Bennium, & ultra, est, a quo observationes de argento vivo obtuli confessui Philosophorum in Britannia; atque, anno dein sequenti, super eadem re alia quædam conscripsi ad Academiam Scientiis promovendis dicatam a Serenissimo Galliarum Rege. Ex utrisque constitit mutata nunquam hydrargyri natura, licet variata mire specie, in novas crebro formas mutatus appareret. Alias juvat jam operationes recitare, unde major longe ejusdem constantia probatur, simulque & aliorum metallorum indeoles exponetur. Alchemistarum antiquissimi, quos & optimos jure quis dixerit, uno ubique ore palam aiunt, mercurium esse metallum vivum. Sed & clamant iidem, hunc, quando habetur sincerus, omnisque alieni contagii purus, adeo tunc simplicem deprehendi, ut sit quacunque parte sui prorsus idem, impatiens penitus dividi in partes varii ingenii. Dicunt porro, ea quoque gratia immutabilem omni causæ, et adeo quidem penetrabilem simul, ut alia quæque dissolvere queat, ipse in-

* Vide Part I. *Transact.* N° 430. p. 145. & seq. Part II. N° 443. p. 343.

terim

terim nihil quidquam, vel inde quoque, mutatus. Atque uti in hisce quidem inter ipsos quam apertissime convenit, ita quoque consentiunt omnes, nunquam de venis duci suis immaculatum, semper vero inquinatum hauriri labe aliena, quæ prima ab origine illi concreta, hinc mire inolescens, intime etiam immista sit. Dolent sane, vitium illud quam molestissimo inde labore auferri tantum posse: quia in primæva seminis foetura principiis nascendi ipsis se insinuavit, & indissociabili fere vinculo innexuit. Vocabant illud Sulphur, quod puro Mercurii se immiscet. Hujus respectu solum, invenerunt, Argentum vivum mutabile esse; hoc unicum, accusant, impedire acrem ejus penetrabilitatem, obtundendo, atque hebetando, propriam Mercurio aciem; hinc & simplicem puri castitatem degenerare in copulam, & conubium, cum peregrinis, solo lenocinio advenæ pararii. Si vero arcana quadam via purificaret fortunatus simul, & sapiens, artifex hunc Mercurium ab omni hac congenita in natalibus spurcitie, tum esse illum ultra haud mutabilem; accepisse autem vim subtilitatis, qua per omnia alia se penetret; spernere connubia cum aliis, dedignari thalamos, nec dari in natura rerum corpus, cui se dedat, coelibatus castissimi pertinacissime tenax. Sed quam admirabile ingenium tremuli laticis! quo redimendum labore, quo pretio! Cruda coquit, perficit vilia, metalla, alia quælibet corpora prompte attenuat, resolvit, in humidum convertit radicale; sic, ad arcana medicinæ, ad secreta hermeticæ artis, princeps instrumentum jure laudatur, quo quid, summo. Sane Mystæ artis, atque Epoptæ, narrant nobis, esse igni similem, qui omnia non mutantus unquam mutat, qui dividens quælibet, qui-

omnia associans, ipse intactus, nusquam vincitus, re-
cedit.

Illecebræ tantorum promissorum excitavere Hermē-
ticos, ut omni ope niterentur modum discere, quo
infectum Hydrargyro vitium possent eluere, ut pura-
nitatem simplicitate sibi præsto haberent. Et quidem
igne solo maculam exurendam censebant horum sapi-
entissimi: quia ignis purgator metallorum unicus.
Nata hinc Mercurii in vitris emaculatis, undique clau-
fis, in ampullas vitreas puras, per ignem elevatio-
nem vero geminabant toties, donec in rubrum, mi-
cantem, pulverem, totum convertissent. Sed pollini-
nem hunc igne summo dum urgent in vitris mundissimis,
en resuscitant inde pristinum Hydrargyrum. Ex-
sultantes pro defœcato exceperunt, falso tamen: quippe
hic ipse, resurgens suis de cineribus combusti, phœnix,
nova tali ignis actione patitur, se denuo similem in
pulverem rutilum, fulgentemque, cogi. Atqui pa-
lam negant summi magistri, Argentum vivum, arte
vera purgatum, rite adeo defœcatum, unquam cogi
posse ab igne in pulverem, ne quidem continuata in
sempiternum actione. Super qua quidem re legi me-
rentur forte ea, quæ super his commentabar, dum
enarrabam D XI. ejusdem Mercurii in vasis vitreis destil-
lationes vi ignis factas, in Actis Collegii Philosopho-
rum in Britanniis, anni MDCCXXXIIII. mense Novem-
bri & Decembri.

An igitur tali modo dabitur adeo quæsta depuratio?
Vix credibile. Sed alia forte fuit operandi ratio, qua
præcipitur illa peragenda. Quin et artis principes
aperte dictant diversam: aiunt enim, defœcationem
obtineri speratam, dum Mercurii indagatus nucleus
detinetur a corporibus purissimis, ex amicitia consan-
guinitatis.

guinitatis arcte eum, & stabili conjugio, jungentibus sibimet. Atqui Aurum, Argentumque, pura, fixa, ipsique Mercurio sincero metalla quam simillima ; sive originem spectaveris, sive materiem. Sequi ex his statuunt, si permiscetur perfecto Mercurius metallo, atque iterum igne inde expellitur intra bene clausa vas a vitrea, partem metalli puri in se tracturam Mercurium, simulque sordidum Mercurii secreturam puro. Animo meo volupe fuit, experiundo discere, quid hac in sententia veri foret. Si non fastiditis, paucis horæ momentis discere eventa laboris improbi, dabo, quæ mihi placere confiteor : quoniam vana me dedocuerunt multa, quæ alte menti insita alebam ; & didici quoque pauca bona, erranti salutaria. Frui possunt studiosi rerum naturalium ærumnosi operis fructibus ; neque necesse erit carum tempus, atque sumitus satis profusos, similibus impendere. Id si obtinget, mihi habeo summum pretium, quod ambio.

Auri purissimi, quod arte docimastica parari potest, duas cum dimidiata uncias redemi ex officina publica argentariæ Amstelædamensis ; redegî in massulas, quæ singulæ pendebant semiunciam. Quinque has indidi in vitrum mundum, quod chemici retortum appellant ; affudi super his integris Argenti vivi, puri, semel prius destillare coacti, uncias xxv. Igne coegi exscendere Mercurium ad dimidias ab Auro, quod in fundo subsidebat sub Mercurio. Peracta sic operatione, exierant Mercurii unciae xiii. in excipulum ; in fundo vasis erat Aurum penitus jam dissolutum in Mercurio, specie misti perfecti, candidi, quod amalgama dicunt : unde patet, Aurum solo æstu ebullientis Mercurii dissolvi ; isque videtur optimus modus miscendi hæc bina, quod artis vocabulo dicunt amalgamare. Argentum vivum

quod exscenderat, bene siccatum reddidi residuo in retorta; iterum expressi igne aequalem inde Mercurii copiam, quam denuo siccatai affudi ad residuum. Hocque ea lege repetivi quinquagesies. Ultima vice exiverat purus Mercurius. Amalgama in fundo retortæ superstes, nigrescens, trivi in mortario vitro, vitro pistillo; turbabatur lutulenta aqua, quam effudi. Lavi cum pura affusa, quam terendo rursus lutulentam effudi. Id tredecim diebus fieri curavi, quando non sordecebat amplius tritu aqua, sed splendide fulgens restabat amalgama, pura manebat aqua. Pulvis tritu, & lotu, paratus, colore fuscus, sapore tetrico metallico horridus, bene siccatus, pependit grana LXXXIII. Mercurius & Aurum pendebant 3xxvi. 3vii. Perdita grana vii. drachmæ tres cum semisse, quinquaginta operationibus. Id contingit partim difflatu volatilis, partim adhæsu Mercurii ad chartam bibulam, qua siccatur ab aqua, in quam destillando fuerat exceptus.

Purissimum hoc amalgama iterum, eodem modo tractavi quinquaginta aliis vicibus. Exiverat jam vice quinquagesima purus Mercurius: in fundo vasis manserat amalgama fuscum. Id denuo tritum, lotumque, cum aqua, ut supra retuli, post tredecim dies operi impensos, dedit pulveris abluti, fisci, siccati 31 gr. XLIV. Amalgama tum purissimum cum Mercurio educito, pendebant 3xxvi. 3iv. perdidi his L operationibus 31 gr. XVI.

Rursus depuratum hoc amalgama, plane eadem ratione quinquagesies feci destillare. Exierat purus Mercurius: in fundo retortæ amalgama subrufum. Id aqua tritum, lotumque, ut prius, quatuordecim dies, dedit pulveris fisci 31. gr. ii. Amalgamati puro addidi Mercurium egressum, pendebant simul 3xxiv. 3v. gr. XXIV.

xxiv. Sed in fundo retortæ, dum amalgama effundebam, aliquid amalgamatis remanserat vitro adhærescens : ut perditum supputare nequiverim.

Depuratum amalgama quinquefies iterum sic tractatum, destillando, terendo, lavando, per quatuordecim dies, dedit pulverem fuscum pondere 31*ff* gran. iv. amalgama splendentissimum simul cum egressio puro Mercurio mixtum, pendebat 3xxv. 3ii. gr. XLVI. post ducentas destillationes.

Et hoc amalgama quinquefies ursi, ut prius ; dein denuo trivi cum aqua, sedecim dierum spatio ; nactus sum pulveris fusci 3ii. 3i. gr. iv. amalgama splendide candidum cum Mercurio pendebat jam sunul 3xxv. 3i. gr. XLVI.

Hoc labore perfunctus vidi ducentis & quinquaginta destillationibus Mercurii ab Auro, sic institutis, Aurum & Mercurium dedisse pulveris descripti unciam, & grana quinque. Restitisse Auri & Mercurii 3xxv. 3i. gr. XLVI. Periisse de materie, ratione enarrata, 3i. 3ii. gr. ix.

Quæ, dum intentus contemplabar, efficiebant, ut lætabundus suspicari inciperem, me videre desideratam adeo methodum lustrandi Hydrargyri. Cogitabam, in eo abscondi forte culpatam Mercurii labem. Quandoque putabam, totum hunc pollinem merum esse fœtidum spurcumque Sulphur, quod immaculatam Argenti vivi virginitatem contaminaverat. Dubitabam, si non ipse jam purum a balneo ignis & aquæ, spectarem, nudumque Deorum nuncium ! Temperabat impetum recordatio similis sœpe, sed præcocis, gaudii, in fumos inanes toties dilapsi. Ambiguus decrevi, non requiescere, donec certa fides doceret verum. Igitur 3xxv. 3i. gran. XLVI. purissimi illius ultimi

timi amalgamatis iterum destillare coegi præterea, aliis sexcentis viginti & septem vicibus, dimidium Mercurii semper educendo, affundendo semper: nec volui plus lavare aqua, sed cernere, quid fieret. Solebat hoc opere nigrescere materies, ut tandem colore fere atro foedaretur. Obduxì tum vitrum, in quo erat, lorica ignem ferente apertum; sicque atrum amalgama, non ablutum ultra, egi igne summo ita, ut retorta spatio trihorii prorsus ab igne canderet. Exiit Mercurius purissimus ad 3xx. In fundo vasis deinde fracti reperi uncias 118 Auri fulgentissimi, sine ulla omnino fœce relicta. En exitum rei! nec dolui ægrimonia tristium laborum: sane eventum, haud prævisum, jam certo cognitum, hac mercede dignum habui. Neque olei, nec operæ, pœnitibit unquam.

Sumebam deinde pollinem, quem collegeram CCL. distillationibus, ejusque 3vii. grana LVII. ursi igne summo, aperto, ex retorta loricata, ut diu hæc canderet. Exiit de hoc pulvere Mercurius purissimus, resuscitatus, ad 3vii. gr. XLVI. In fundo retortæ restiterant, ut deprehendi, grana sex pulveris fusci.

Argentum vivum, quod jam DCCCLXXVII. repetitis vicibus ita urseram, ponderavi arte, industria, & statera hydrostatica, amici carissimi, celeberrimi professoris, 's Gravesande. Habuit se ad aquam puram, ut XIIIIS ad i: ut molimine tanto densitatem haud mutaverit Mercurius, neque ulla parte sui leviore fuerit liberatus. Id jam addo: quia intellexi quid de suspicione nata, haud satis accuratam fuisse rationem, quam adhibui ad exploranda pondera, quæ memoravi in primis, quæ Societati dedi, de Mercurio commentariis. Fas mihi esto, pauca jam ex descriptis colligere, pro veris habenda.

1. Aurum a Mercurio solutum, cum eo toties contum, tritum, nihil de natura sua pristina mutavit, amisit de pondere proprio nihil, quod his experimentis notari queat, nihil acquisivit.

2. Argentum vivum Auro commixtum, ab eo per ignem rursus expulsum, partem sui convertit in pulvrem fuscum, subtilem, saporis tetrici, metallici, penitus diversi ingenii a priore sua natura, idque fit semper, usque ad ~~CCCLXXVII.~~ vices. Qui tamen, solo igne fortiore, iterum redit in Argentum vivum idem, quod antea fuerat, omni dote per artem observabili.

3. Igitur ignis & aurum, hoc modo, non separant ab Argento vivo partes diversas, sulphur, foeces, aliud. Sed tantum id mutant specie externa, iterum reducenda in formam pristinam, omni ratione eandem ita, ut ne quidem pondus ejus proprium ullo modo mutantum sit.

4. Argentum vivum & Aurum vi ignis mutant statim argenteum splendorem sui amalgamatis in colorent fuscum, tanquamque nigrum: sed solo igne fortiore nitor Mercurio argenteus, & fulvus Auro fulgor, redditus docet, hunc colorem non demonstrare metalorum corruptionem, vel mutationem in sua natura.

5. Si tamen auro & igne purgari potest Mercurius nativus, ex sententia veterum, oportet alia id operatione efficere.

6. Cadit spes mercurium fixandi cum Auro actione: ignis: quum tanto molamine, tempore tanto, nihil quidquam vel inchoatum sit; ultima destillatio aequa: facile, ac prima, peragebatur.

7. Non firmatur hinc opinio, quæ narrat, ignem metallis, vel Mercurio, concrescere posse in augmen: tum,

tum, vel generationem, alicujus metallici ; aut in mutationem ipsius metalli stabilem.

8. Quæ constantia, quæ simplicitas, Argenti vivi, & Auri ! Si in origine prima aurum fuit Argentum vivum : nonne tunc vere dicitur, Mercurium, vel totum avolare ab igne, vel fixum in eo manere totum ?

9. Magna promissa, de Auro tritu solvendo, sive cum aqua, sive sine illa, quæ duo magni in arte viri fecere, non solvuntur hisce nostris laboribus. Sed vana spes : fugerunt laborem improbum, præcipites festinarent ad otiosas conclusiones.

Unicum supererat inquisitu dignum ; An Mercurius, jam toties destillans ab Auro per vim ignis, haud deposisset eam proprietatem, qua per destillationem veritur in pulverem illum, qui appellatur præcipitus per se ? Igitur uncias illas viginti Argenti vivi DCCCLXXVII. vicibus destillati ab Auro destillare coegi ex retorta munda vitrea, tam magna vi ignis, ut nihil prorsus Mercurii remaneret in vitro post singulas destillationes ; id repetivi octies : in fundo retortæ obtinui grana duodecim rutili, scintillantis, ponderosi, sapore tetrico metallico prædicti, præcipitati Mercurialis. Certus ergo, ne hanc quoque dotem ablatam mercurio per magnum hunc laborem.